



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

ANNO T. IN HIOB

Cetura suscepit Suha, qui similiter regioni nomē dedit. Vnde Bildad Suhites dicitur. De Naamath nihil certi constat: Fuerunt autē isti regionū principes, sicut & Hiob, ut ex græca translatione intelligere licet: Ita enim habet Græcus, ἐλιφάξ ὁ θαυμαῶν βασιλεὺς, καὶ βέλδαδ ὁ σαυχαίων τύραννος, σφάξ ὁ μινῶων βασιλεὺς, id est, Eliphaz Thema norū rex, & Beldad Sauchaorū tyrannus, Sophar Minæorum rex. Reor autem apud suos, tali loco fuisse, & Hiobem & amicos, quali apud nos habentur comites, aut, ut uocant, barones, seu principes.

CAP. III.

Post hæc adperuit Hiob os suū, & execratus est diem suum.

Euitæ sunt ab Hiob grauisimæ tentationes, non suo Marte, sed Domini præsentia: nūc autem ablati diuitijs, liberis, & sanitate, Dominus patrem & præsentia suam occultat, ac subtrahit Hiob: interim obiecto mortis iudicio iudicē, imò carnificē agens, non

In tentatione ut perdat: sed primū, ut toti mundo declaret, priore dante Domi- uictorias suas, non Hiobis fuisse: Dein, ut doceat, quod homo, persistit sit homo quantūcūq; pius, sine Deo patre, nisi enim

homo. Deus patrē egerit, actum est, non solum de peccatoribus impijs, uerum etiam de uniuersis sanctis: omnia propo

propitia erunt, uel ipse infernus, si Dominus patrem
 agat: sin iudicem, omnia habebis aduersa, uel ipsum in iudicio do-
 ccelum. Quid igitur in iudicio agendū? non despera mini, quando
 dum, quod pater recesserit? Absit, nam in hūc usum, relinqtur ho-
 Christus dilectus Dei filius, propositus est, adeoq; in mo ab omni
 nostram infirmitatē coniectus, ut uinceret, & nos in auxilio dei de
 se uincere doceret. Audis Christū clamantē in cruce, stitutus, blasa
 DEVS MEVS, VT QUID ME DERELI phemat:
 QVISTI? Quid uero hoc? nam quum Christus, na
 turalis Dei filius fuerit, potuit ne unq̄ a Domino Deo
 suo derelinqui? nonne ait, EGO ET PATER
 VNVM SVMVS, EGO IN PATRE, ET
 PATER IN ME? Age Christū suum Dominus
 nunq̄ dereliquit, nunq̄ ab eo uel latū unguē discessit,
 sed interim patrem agit, interim iudicem. Exemplo
 res manifestior fit: de Lucio Bruto, scribit Valerius, Lucius Brū-
 tus:
 filios suos, Tarquinij dominationem, a se repulsam,
 reducentes, cōprehensos, proq; tribunali, uirgis cæ-
 sos, & ad palum religatos, securi percuti præcipien-
 te, exiit, inquit, patrem, ut consulem ageret. Quidē
 potuit ne Brutus unq̄, quod pater esset suorū filiorū,
 abijcere? factū, infectū, fieri nequit. Quomodo ergo
 patrem exiit? nihil paternæ sogyūc (pietatis) exhi-
 buit, nullā patris humanitatē ostendit, sed seuerū duri-
 taxat consulem. Ita Christus clamat se derelictū, quia Deus derelin-
 Dominus obiecto mortis iudicio, solū iudicem egit, quit.

ANNOT. IN HIOB

abscondens interim paternā σοφίαν: id quod scriptura, nūc derelinquere, nunc obdormiscere uocat. Iam, tu quisquis es, O HOMO, quum audieris Christum clamantem, DEVS MEVS, VT QUID ME DERELIQVISTI? tuam ipsius uocem agnoscito in Christum tralatam, ut in eo uinceretur: alioquin enim, nisi haec nostra blasphemia, qua in medijs tribulationibus clamamus, nos praesentissimo etiānum Domino derelictos, tantū nō desperantes, in Christo deuicta esset, nihil obstarēt, quin unā cum impietate ea in infernū detruderemur: nam ut Dominus, Christo filio suo, semper praesentissimus adest, ita a pijs, nunquā

Christus pro nobis uicit in iudicio. *abest. Ut quid igitur clamant, quasi desperabundi, se nobis uicit in derelictos? Vox ea est, horrendo Domini iudicio extorta, sed in Christo uicta. Eadem iudicij ratione, tractatur Hiob: in prioribus enim tentationibus sensit Dominum adhuc PATREM, & manum suam superponentem: proinde facillime constitit, super firmam petram fundatus, nunc autē occultato PATRE, atrox mortis iudiciū, proponitur. Non igitur audis amplius gratiarū actiones, sed blasphemias & execrationes.*

Pij uincunt, in tentatione, in terdū uincuntur, bono Dei consilio. *ut discas solū Dominū, bonum & ueracē, omnem autē hominem, quāuis pium & iustum, mendacem esse: nec sine prudētissimo Domini consilio fit, quod pij interim in tentationibus constant, interim in iudicio labascant. Primum, ut in constantia bonitas Dei declaratur:*

retur: dein, ut ex lapsu adsuescant, Domino constantie donum adceptū ferre, ac non tam ipsi, quam nos omnes, manifesta experientia uideamus, in tentationibus, constantia Domini opus esse, non nostrarū uirū: nam & hac causa, omnes cōcludit scriptura sub peccatum, ut Deus omnium misereatur: hoc est, solus glorificetur, & ipsi soli, quicquid est salutis, adceptū feratur, adeoq; ex multis peccatis, lapsibus & blasphemijs, multa agnoscatur Dei misericordia, & gloria. Blasphemabimus ergo, & labemur, ut glorificetur Deus? Absit. Eadem habes apud Paulū Ro. 6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet: prædicarat enim multa peccata, multā Dei misericordiam cōmendare: ut nō ideo peccandū esse, seu blasphemandum, quod ex multis blasphemijs, Domini gloria cognoscatur, nisi forte quis iubeat, imbecillem esse & infirmum, si docuerit infirmitate graui, declarari gloriosam medicinam. Mala est blasphemia, sed ex hoc malo elucescit, quanta maledicentis uanitas sit, & solū Dominū esse bonum. Porro, nō aliunde, certius cognosces, natuum cordis nostri ingenium, quam domino iudicem agentē, patrem abscondente: nam cor nostrū, utpote à Sathana captiuum, & natura iræ filius, nō est nisi lerna ἡ λίσσ malorū, de corde enim, inquit Christus, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra &c. Si exeunt, inesse oportet. Verum enim uero

Dominus bonus
est malo bonum
facit.

Cor hominis
prauum.

ANNOT. IN HIOB

hæc tanta mala, cordi agnata, latent interim, non solum
Lex cohibet lum in spiritualibus, ac VERBO renatis, sed etiam
externū opus in carnalibus, in quibus, quod in externos fructus nō
pullulent, prohibentur, uel a tate, uel magistro, uel
pœna, uel lege, quæ sic natiuam hominis maliciam co
hibent, ut præter speciosam quandam hypocriscos ho
nestatem, nihil operentur. Lex enim pædagogus, ma
num, os, externosq; mores, honesta reddit, cor non
item, quod data opportunitate, in suos mores erum
pit: uulpi pellem facile detraxeris, naturã non item:
& lupum, ut maxime à præda deterreas, ab animi ra
pacitate, nunquam deterrebis. In spiritualibus uero
ac Verbo renatis, fides per Verbum, quod capit, ma
la cordis cohibet, ac purificat, ne in fructus protube

Fides per Ver rent, Ioan. 15. Mundi estis, propter sermonem: Sic &
bum purifi- Petrus Acto. 15. & 1. Epist. 1. Cor purificatur fide,
cat cor. & obediendo ueritati, unde & Paulus Romano. 8.
monet, ut facta corporis, spiritu mortificentur, ne re
gnent in nobis peccatum, multo enim omnium ualidissi
mum est Verbum Domini, quod si per fidem capiatur
mortificat, etiam in summa tentatione, cordis mala.
Nam cum Verbum omnipotens sit, nihil potentius su
per peccatum regnat. Detrahe autem uel carnali, suū
pædagogum, legem, uel pœnam, uel spirituali, Verbum
aut Dominum patrem, & substitue huic, pro patre in
dicem, illi uero opportunitates, & occasiones cōmo
das,

das, fieri tum non potest, quin uterq; ad ingenium re Peccata exter
 deant: neq; est, quod ablato pædagogo, aut Verbo, no na cōtingūt,
 ua quedam mala generentur in corde, sed uetera, an- cessante lege,
 te à conceptu agnata, & in cordis officina, hætenus & Verbo.
 latenter nutrita, promuntur: uel uno exemplo, hoc Ab inuidia
 manifestum fit. Inuidia unicuiq; in utero matris cogna exemplum.
 ta est, per Adam enim, omnes moriuntur: itaq; tanti
 sper in carnali latet, ne in fructum externum exeat,
 dum pœna legis cohibet, aut alienis beneficijs obtegi
 tur: deme autem aliena beneficia, ac legis pœnam sub
 stituens occasiones, ac uicini cuiuspiam iniurias, tum
 erumpere etiamnum gestit, quod ante latebat, perim-
 de ut calor è calce, infusa aqua. In spiritali uero, quã
 doquidem fide in hoc, uel aliud Verbum (EGO RE
 MITTO TIBI, UT ET TV FRATRI RE
 MITTAS) inuidia expurgetur, nõ potest fieri, ut
 mox obiecta tentatione, in opus erumpat, propterea
 quod habet Dominũ, in se regnantem, qui Verbo oĩ-
 potente, peccatum cohibet. At remoue etiam, à spiri
 tuali Dominũ, & Verbum eius, mox redit & ipse, si
 cut carnalis, ad ingenium suum. Proinde quod Hiob,
 nunc obiecto mortis iudicio, maledicit, cum antea, tot
 mortes sustinens, quot tentationes, benedixerit, ne mi
 reris: non nouum est, quod audis, quum enim benedi
 ctiones audieris, Domini uocem & opus, in Hiob a-
 gnoscas: quum uero nunc blasphemias crepet, homi-

Hiob, ante be
 nedixit, nunc
 maledicit.

ANNOT. IN HIOB

nem in iudicio Dei, suis uiribus relictum, scias, & alia
te quidem, habebat Hiob, Deum benignum Patrem,
nunc Deum habet tremendū iudicem, non ut pereat,
sed ut uirtus Dei in infirmitate perficiatur.

APERUIT HIOB OS SVVM &c.

Adperuit, & latius quàm iustum fuerit, atqui sic
adperiunt os, quotquot horrendo mortis iudicio adfi-
ciuntur, cogit enim ignis infernalis, iudicio Dei ac-
census, ut adperiat os, quo flammæ blasphemiarū
efflentur. Eosdem ignes senserunt Daud, Psalm. 6.
& 37. Domine ne in furore, Ezechias, Esaiæ. 38. &
Hieremias 20. capite. iam quum hos audieris diei nati-
uitatis sue maledicentes, in tuum ipsius cor descēdas,
& easdem in te blasphemias (licet ante iudicium oc-
cultas) esse cogites, sunt enim Hiob et Hieremias, cor-
dis nostri iudicio oppositi, præcones.

Pereat dies, in qua natus sum, & nox,
in qua dictum est, cōceptus est masculus.

Dies illa fiat tenebræ, non requirat
eum Deus desuper, & non illustret eum
splendor,

Obscurent eū tenebræ, & umbrositas
habitet super eum obnubilata, & terribi-
lem reddant eum uapores diei.

Noctem illam occupet caligo, non
gaudeat,

gaudeat inter dies anni, in numero mensium non computetur.

Ecce, nox illa sit solitaria, non ueniat gaudium in ea, maledicant ei, execrantes diem, futuri deuastare Leuiathan.

Obtenebrentur stellæ obscuritate sua, expectet lumen & non ueniat, nec uideat palpebras auroræ,

Quoniã nõ cõclusit ostia uentris mei, nec abscondit calamitatẽ ab oculis meis.

DIVERSA LECTIO.

Quod nos legimus, inuoluatur amaritudine, Hebræus habet **יבעתחו במירייו**, id est, terribilem faciant eũ Dæmones diurni. Annotante enim Reuchlino, **מירי** spiritum æstuantem, furiam infernalem significat: nisi malueris à **במר** deducere, quod calere significat: ut sit sensus, terribilem reddat eum calores, uel uapores calidi diei. Vbi nos habemus suscitare, Hebræis est **עורר** quod non tam suscitare, quàm suffodere & deuastare significat. Pro, uentris qui portauit me, Hebræus simpliciter habet uentris mei, quod idem est, cū nostra translatione.

Dies & noctes adeoq; omnia maledicuntur à desperatis & Creator illorum.

PEREAT DIES & c. Vbi nunc est illud: Sit nomen Domini benedictum? Porro natiuitatis nostre dies, ex se quidem benedicta est, quia bona creaturæ illorum.

ANNOT. IN HIOB

ra domini. Vidit enim Deus omnia quæ fecit, quod bona essent. Optat autem Hiob ut pereat, ac maledicit, propterea quod morte ob oculos posita, uideat et sentiat eum diem, non nisi horrendæ mortis initium fuisse. Hæc uero optio, non in creaturam Dei solam, sed et in creatorem redundat, et si exactius cõsideres, Dei blasphemia est. Origenes et Gregorius ut cunq; has maledictiones excusant, nobis tamen ita excusationes recipiendæ sunt, ut gloria Dei non obscuretur.

ECCE NOX ILLA SIT &c.

Quid nox commeruit, quod et illa maledicatur? An quia non conclusit ianuas uentris materni? quasi uero hoc in noctis potestate, et non potius in manu Dei suū esset. Sed uides adfectum desperatorū, omnia maledicunt et blasphemant, etiam innocentissima.

DEVASTARE LEVIATHAN &c.

Leuiathan.

Leuiathan, draco marinus est sub cuius nomine Sathan intelligitur, infra Capite 41. et Esaiæ 27. et est sensus: Opto, ut dies illa natiuitatis meæ eiusdē sortis sit cū Sathana, et eiusdē maledictionis, Maledicāt ei, qui maledicturi sunt, et cõfossuri Sathanā, id quod ab angelis domini fit, Apoc. 12. Factū est præliū magnū in cœlo, proiectus est draco ille magnus serpens.

Quare non de uulua moriebar? (quare) de uentre egressus non perii?

Quare proposuerūt me genibus? quare mamillas suxi? Nunc

Nunc enim dormirem & quiescerem,
dormiscerem, & requies mihi esset.

Cum regibus & consulibus terræ, ædifi-
cantibus deserta sibi.

Vel cum principibus, quibus est aurū,
quorū domus impletæ fuerunt argento.

Vel sicut abortiuus, absconditus nō es-
sem, sicut infantes, qui nō uident lumē.

Illic impii cessant a tumultu, & illic re-
quiescunt fatigati labore.

Simul uincti, pacati sedent, non audi-
unt uocem exactoris,

Paruus & magnus illic sunt, & seruus
manumissus a domino suo.

QVARE NON DE VVLVA.

Embryon in uulua, mirabili Dei opere fouetur, do-
nec adueniat tempus partus, quo adueniente, mirabi-
lius puer nascitur, adeoq; in partu muliebri, nil nisi di-
uina miracula (quamuis ob familiaritatē & frequen-
tiam uilescant) agnoscis. Ut enim initio Deus mire
creauit & formauit puerum in utero, ita in partu mi-
ro modo, in mundum collocat. Sed ecce, hæc diuinissi-
ma Dei opera, Hiob maledicit, sic enim adfectus est,
qui mortem & iudicium Dei, præterea nihil ob ocu-
los uidet. Itaq; cum tanto Dei miraculo nascamur, ei

Partus hoīs
opus Dei est
mirabile.

ANNO T. IN HIOB

Mirabilis par
eus hois spei
ancora.

in lucem producamur, ut omnibus uiribus nostris, nū
quam queamus Deo dignas agere gratias, derelictus
tamen à Domino, opus maledicit & blasphemat. Por
rò, mirabilis ille conceptus & partus, nonnulla spei
nostræ ancora est, dum ex prioribus beneficijs, collu
gimus fide, futuram Dei liberalitatem, ut est Psal. 20
In te proiectus sum ex utero. Si enim nescientes nos,
tanta misericordia complexus est Dominus, ut curavit
non dum natos, quanta complectetur scientes & re
natos? Ecce autem quod fide constanti spes est, hoc
suis uiribus relicto, maledictionis occasio est.

QVARE PROPOSVERVNT &c.

Genubus gestare, tale beneficium est, ut & matri
et Domino per matrè curanti, gratiæ pro eo agenda
sint. Præterea mamillis nutrir, ualde mirum est, nam
cum infans tenellus, recens natus, cibo solido uesci ne
queat, mox paratur in uberibus maternis lac teneritu
dini infantili commodum. Fides hoc cognoscens, non
potest se continere, quin laudes Domino cantet, ac pa
renti, per quam Deus talia operatus est, humili obe
dientia obsequatur. At rursus hæc omnia, mortis iu
diciu sentiens, damnat & blasphemat.

NVNC ENIM DORMIREM &c.

Hoc est. Quod si in matris lacte mortuus essem,
tantis calamitatibus non fuisset obrutus, sed quiesce
rem cum alijs regibus & diuitibus, cum cōsulibus &
prudētibus

prudentibus terræ, qui ut nomen parent, ædificationi
 student, quemadmodum legitur Gen. 11. Venite facia-
 mus nobis ciuitatem, & celebremus nomen nostrum:
 nam hoc loco, deserta ædificare, est celebrem esse, aut
 gloria humanæ studere. Vel quid, si omnino aborti-
 uus essem, aut perissem, ut pueri nō uidētes unquam
 lumen, multo melius mihi consultum esset, quā
 quod tam horrendam calamitatem sustineam, Mors
 enim ultima linea rerum est, impiorum tyrannidem se-
 dat, fatigatum, à labore liberat, uinctum, à uinculis,
 oppressum, à uoce exactoris, seruum, à graui serui-
 tute & minis tyranni sui. Porro, mortē esse ultimam
 lineam rerum, quietem & à malis liberationem, &
 pij & impij p̄nunciāt. Sed hi ex infidelitate, illi uero
 ex fide. Pius enī, uidet in se grauissimas carnis impiæ
 blasphemias aduersus Dominum: & ut Paulus ait, ma-
 lum in carne inhabitans sentit: optat itaq; dissolui, &
 esse cum Christo, quando ab impietate carnis, nullam
 quietem se habere uidet, nisi morte, quæ tamen non
 mors eius est, sed redemptio. Impius uero, sentiens
 in se grauissima iudicij diuini flagella, mortem optat,
 cen quietem, & à flagellis redemptionem. Sed hanc
 optionē, infidelitas operatur, quæ nō propter carnis
 impietatem, sed propter flagella, in mortem inhiat: ut
 enim pius oīa grauissima pati promptissimus est, mo-
 do sauentem habeat dominum, & ab impietate libere

Pius aliter
 mortem oppo-
 tit, aliter im-
 pius.

Impius ex in-
 patientia sup-
 plicij mortē
 inuocat.

ANNOT. IN HIOB

tur; ita contra. impius, parum curat carnis suae impietatem, ac dei fauorem, modo à flagellis liber fuerit.

IBI IMPII CESSANT A TVMVLTV.

Vox misere indignantis iudicio Domini. Hiob enim manu Domini destitutus, & in extremam calamitatem deiectus, pro more impiorum, à Domino derelictorū, loquitur, dicens, se miseriorem omnibus tyrannorum subditis, omnibus mercenarijs, seruis, uinctis & fatigatis, qui, si nō prius, tamen uel morte ab afflictionibus liberātur, se uero nec morte liberari posse. Quod autē inquit, uinctos & oppressos, uel morte liberari, pro humanae rationis opinione, & externa specie loquitur. Ratio enim iudicat, mortē esse, à miserijs liberationē, cū tamē mors, nisi credideris in Christū, qui est uita aeterna, uerae infelicitatis exordiū sit: adeoq; haec misera uita, impio nō sit aliud, q̄ futurae extremae & aeternae miseriae meditatoriū. Proinde nō hoc agendū est, ut impio murmure & mortis uoto, iudiciū Domini repellere conemur, sed ut discamus manū Domini FIDE ET EXPECTATIONE ferre.

PARVVS ET MAGNVS &c In morte nullus est personarum respectus, nemini parcat mors, & aequa conditione tractat, & magnum & paruum.

Quare data est misero lux, & uita amarum animo.

Expectantibus mortem, & non uenit,
& ijs

& iis qui effoderent eam de absconditis.

Iis qui gauderēt uehementer gaudio, iis qui lacerarent, quod inuenirēt sepulchrū.

Viro cuius uia abscondita est, & quem Deus obtexerit.

Quoniam ante panem meum, gemitus meus uenit, & adoriuntur me, sicut aquæ suspiria mea.

Nam timor quem timui, uenit super me, & quod uerebar, accidit mihi.

Nonne prosperabar? nonne ocio uocabam? nonne quiescebam? & (tamen) uenit calamitas.

Quod dicat: MISERO in singulari numero, & deim: AMARIS EXPECTANTIBVS IIS QVI EFFODERENT &c. in plurali: postremum VIRO rursus in singulari, numeri mutatio est, frequentissima apud Hebræos, sicut & personæ mutatio, ut enim de eodem Scriptura utitur, nunc secunda, nunc tertia persona, ut est in Psal. Domini est salus, & super populū tuū benedictio tua, ita unus & idem de se, nūc in singulari, nūc in plurali loquitur.

DIVERSA LECTIO.

Vbi nostra tralatio legit, quasi effodientes thesaurum, Hebræus habet יִחְפְּרוּ מִמְטַמְיִם

ANNOT. IN HIOB

Et effoderent ipsam de absconditis. Est autem proverbia-
 alis facies, qua summum desiderium et votum expli-
 catur, ut nos dicere solemus, de seruo quopiam fidei
 martuo: effoderem ipsum, uel e terra, aut a mari
 usque insulis, uel proprio impendio uocarem. Sic Hiob
 ait, se mirari, quare non sibi solum, sed quibusuis miseri-
 mors differatur, quam tamen, uel ex absconditis ter-
 ra locis effoderent, usque adeo uitae calamitose per-
 tasi. Vbi nos habemus, non dissimulauit, Hebraeus ha-
 bet: Nonne prosperabar &c.

QVARE DATA EST MISERO LVX

Lux et uita corporalis ingetta Dei dona sunt, sed
 uides hoc loco, quas pro tantis beneficijs, gratias agat,
 a Domino derelicti et iudicati. Hoc solum referunt,

Qui a Domi-
 no sunt dere-
 licti, omnia
 blasphemant
 etiam bona Dei
 dona.

quod blasphemant, indignentur, et fremant aduersus
 donum Dei. Quare, inquit Hiob, prorogatur mihi
 miserrimo uita, mortem potius optanti, qui effoderem
 ipsam, uel e profundissima terra, modo optata adueniret
 cui nihil gratius contingere posset, quam si sepulchrum
 inuenirem, in quod mortuus conicerer. Breuiter, ex-
 pers omnis consilij, quid agam nescio: abscondita est
 uita mea, ut quo mihi diuertendum sit, ignorem: tantis
 undique malis obruor, et a Deo calamitatibus obtegor:
 cur adhuc diutius uiuam? me miserum, quis me a tam hor-
 renda calamitate liberabit? suspendio perire mallet,
 quam tantas iudicij diuini molestias diutius ferre.

Quoniam

QVONIAM ANTE CIBVM MEVM.

Id est, omnia mea maledicta sunt, nihil mihi in bonum cedit, ne cibus quidem benedictus est, sed suspicarijs oblitus. Effusi enim sunt super me gemitus sicut aqua, id est, abundantissime.

NAM TIMOREM. Sic Prouerb. 10. de impijs scribitur: Accidunt impijs, quæ metuunt: nam Hiob, quam sanctus, & Deo gratissimus, in iudicium tamen impiorum coniectus est, de qua re postea. Porro, quod impijs contingat, quæ timent, iusto admodum Deludicio fit: solent enim non resipiscentia, aut iusto consilio, pericula futura præcauere, nec fugiunt quæ patet effugiendi uia, quæ est fides, sed impia carnis ratione, & iniquis conatibus, seu malis, ut ita dicam, medijs: nam quum Deum ignorent, & uitam eius contemnunt, interim tamen discrimina suarum rerum sentientes, non mirum, si impietatem adripiant, qua sese discrimina excussuros, arbitrentur, propterea quod huc cogant ex una parte, periculorum imminentium minæ, ex altera, ignoratio Dei & Verbi eius: adcedunt scripturæ exempla: Fratres Ioseph, audito somnio, quod Iosepho principatû decernebat, futurû fratris iugum excutere uolentes, citius impijs conatibus promouerunt, quàm reiecerunt: non enim conabantur dominationem Ioseph, ab humeris suis reijcere, uel diuino consilio, uel fideli pietate, sed concepto

*Impio adcedet
quod timet.*

*Iosephi fratres,
male ut
tant pericula*

ANNOT. IN HIOB

fratricidio, uenditione impia, præterea conficto apud
 patrem mendacio: proinde, quod timebant, iustissime
 Pharaos uitan eis adcidit. Quid dicam de Pharaone, qui timens, uo
 do piclatur. populus Israël auctus, aut libertatem suã uindicaret,
 aut se, & suos opprimeret, ac è terra Aegypti, uo
 pelleret, periculũ præcauebat, non pietate, non iustitiam
 imperij moderatione, sed tyrannide, exactionibus, &
 homicidijs? Rectissimo igitur Dei iudicio, quod timebat,
 it, euenit: nam & populus Israël, libertatem suam,
 per Mosen recuperauit, & ipse, unã cum suis mari-
 nis fluctibus, obrutus est. Saul formidabat, ne suæ fa-
 milie posteritas, regno Israëlítico priuaretur: proinde
 nihil non insidiarum, in Dauida successorem, à domi-
 no destinatũ, machinatus est, quo eum proderet. Nam
 quia dolis, insidijs, & impietate, familie suæ dispen-
 dium præcauere conatus est, accidit ei quod timebat,
 & regno, unã cum posteritate sua tota, est priuatus.

Caiapha, Pi- Quid uero narrem de Caiapha, & Pilato formidanda-
 latus, qd' mi- tibus, ne si pergat Christus, sua doctrina, imperator
 que cauët, eo Romanus ueniat, & tollat locum, gentemq; iudeo-
 dem pereunt rum? ut enim imminens hoc discrimen effugerent, co-
 periculo. uati sunt præuenire, non fide in Deum, nõ resipiscen-
 tia, non consilio spiritus, sed impijs medijs, morte scilicet
 licet Christi, & persecutione Euangelij? itaq; quod
 uerebantur, adcidit: nam & Caiaphas à pontificatu,
 & Pilatus à magistratu, ut auctor est Iosephus de iudeo-
 ca

Saul regnum
 pdit à se, qd'
 male querit.

Caiapha, Pi-
 latus, qd' mi-
 que cauët, eo
 dem pereunt
 periculo.

...

...

En si
 uerl
 om
 uta
 stus
 nis i
 lore
 adse
 uerf
 igit
 cidit
 treft.
 NC
 non
 bar,
 plo in
 adm
 spirit
 delite
 uita e
 anim
 etiam
 polle
 sper
 loru
 felie

En sunt: adhæc imperator Romanus, locū & unia-
uersam gentem deuastauit. Adeo in diuersum, cadūt
omnia impiorum consilia, & iuxta prouerbiū, dum
uitant Scyllam, incidunt in Charibdim. Sic Iob san-
ctus quidem fide, sed Domino se occultante, in car-
nis impietate relictus: hoc unum satagebat, ut à do-
lore & iudicio Dei liberaretur: conabatur uero id
adsequi, maledictionibus, fremitu, murmure ad-
uersus deum, impio, importuno mortis uoto: quod
igitur timebat, malo conatu præuere studens, ad-
cidit ei, & quanto magis dolorem, ac iudiciū Dei de-
trehabat, tanto magis subinde augebatur.

NONNE PROSPERABAR &c. hoc est,
nonne ter maximus eram, ter foelicissimus numera-
bar, uita nō pro carnis libidine, sed ex Dei præscri-
pto instituta? Quid igitur tanta me obruit calamitas?
admiratur enim, & cōqueritur caro, subtracto dei
spiritu, & iudicio eius, ob oculos posito, cur tā cru-
deliter Deus iudicet & adfligat? non respiciens, nec
uitā egregie actam, nec agnoscens bona opera, sed p
animi sui libidine, quosuis, citra ullum discrimen,
etiam maxime pios, immanissime tractans: adhæc
pollicetur sibi caro, omnia futura, prospera, in pro-
speritate præsentis: nec est, ut sapiens monet, Ma-
lorum memor, in die bonorū: sed putat præsentem
fœlicitatem, eternum duraturam. Itaq; cum mutat

rerū statu, prosperitati, calamitas successerit, desperat, quò se uertat, nescia, quādo iam Dominus, caput suū occuluerit, Esa. 59. expectauimus lucē, & ecce tenebræ: splendorē, & in tenebris ambulamus, Hie. 24. Expectauimus pacē, & nō est: bonū tēpus curationis, & ecce turbatio. Vnde et Hiob, ex uita pbe et fideliter instituta pollicebatur sibi oīa scēlicia: sed ecce subito uenit calamitas, qua maior hoī uix accidere potest, usq; adeo Dominus suos p̄fundissime subprimit ut altissime eleuet.

CAP. III.

Respondens Eliphaz Themanites dixit.

Status disputatiōis totius amicorum Hiob, cū ipso usq; ad finem libri.

Hactenus, futura cōtrouersia, inter Hiob et amicos eius, fundamenta tacta sunt, & belli præludium propositū est, testimonio enim Domini, Hiob pius, rectus, & Deum timens pronuntiatur, adfligitur tamen, perinde ac impiissimus quispiam, & à Deo abiectissimus. Erumpit præterea, in impias blasphemias, ut in priori capite dictum est. Hinc nascitur inter carnaliter prudentes et spiritualiter eruditos, cōtrouersia: num Deus piū quempiā, citra ullam impietatis causam, pro sola sua libidine uel ad dūctū adfligat & iudicio impiorū afficiat? habet hæc questio utrinq;